

spectantibus beneficia ecclesiastica fundarunt, adeo quod fructus dictae mensae qui adhuc supersunt milleducentos florenos Renenses in certis veris redditibus secundum communem extimationem valorem annum non excedunt, qui ad supportandum onera ecclesiae praedictae etiam tempore pacis minime sufficiunt, et sic ut praefertur interim attenuati sunt fructus praedicti, quod idem Caspar episcopus ex eis statum suum decenter tenere et aedificia castrorum huiusmodi in esse conservare ac iura dictae ecclesiae contra illa invadentes et occupantes defendere non potest, quodque si parochialis ecclesia in Jodaw Misnensis diocesis et capella beatae Mariae Magdalenae in castro Misnensi sita, quae ad collationem ipsius episcopi pertinere dinoscuntur, eidem mensae perpetuo incorporarentur unirentur et annectarentur, praefatus Caspar et pro tempore episcopus Misnensis aliquale in suis oportunitatibus susciperet relevamen. Quare pro parte dicti Casparis episcopi asserentis, quod parochialis ecclesiae septem ac capellae huiusmodi decem marcharum argenti puri secundum communem extimationem valorem annum non excedunt, nobis fuit humiliter supplicatum, ut parochialem ecclesiam et capellam praefatas cum omnibus iuribus et pertinentiis suis mensae praedictae perpetuo incorporare annectere et unire aliasque in praemissis oportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod semper in unionibus commissio fiat ad partes, vocatis quorum interest de praemissis plenam habentes notitiam ipsiusque mensae fructuum reddituum et proventuum verum annum valorem praesentibus pro expresso haberi volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati parochialem ecclesiam ac capellam praedictas cum omnibus iuribus et pertinentiis supradictis eidem mensae auctoritate apostolica tenore praesentium ex certa scientia perpetuo incorporamus unimus et annectimus, ita quod simul vel successive cedentibus vel decedentibus parochialis ecclesiae et capellae earundem rectoribus seu illas alias quomodolibet dimittentibus, liceat praefato Caspari seu pro tempore existenti episcopo Misnensi per se vel alium seu alios corporalem parochialis ecclesiae et capellae iuriumque et pertinentiarum praedictorum possessionem auctoritate propria libere apprehendere et perpetuo retinere, illarumque fructus redditus et proventus in suos ac praedictae mensae usus utilitatemque convertere, necnon parochialem ecclesiam praedictam per presbyterum idoneum ad eius nutum ponendum et amovendum regere et gubernare, ac curam animarum parochianorum eiusdem gerere et exercere cuiuscunque super hoc licentia minime requisita, non obstantibus priori voluntate nostra huiusmodi ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis contrariis quibuscunque — proviso quod parochialis ecclesia et capella praedictae debitis propterea non fraudentur obsequiis et animarum cura in parochiali ecclesia huiusmodi nullatenus negligatur, sed per dictum presbyterum exerceatur et illius necnon capellae praedictae congrue supportentur onera consueta etc. Nulli ergo omnino hominum etc. Si quis autem etc. Datum Mantuae anno incarnationis dominicae millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono duodecimo Kal. Augusti pontificatus nostri anno primo. —

R/ta gratis
C. Fidelis.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem Bleisiegel an einer Schnur von gelber und rother Seide.